36286/B

M.XIII
18/m

3410

These de 17

Off. a Mr. Henry S. Wellcome

Dr. Eduardo Abreu

–Portugal–

–Braga–

2-12-1910

Eduardo Abreu

Eduardo Abreu

Eduardo Abreu

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
PROPHYLAXI
MORBORVM EPIZOOTICORVM

QVAM
ADIVVANTE SVMMO NVMINE
ACADEMIAE FRIDERICO ALEXANDRINAE
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
CHRISTIANO FRIDERICO
CAROLO ALEXANDRO
MARGRAVIO BRANDENBVRGICO · BORVSSIAE
SILESIAEQVE DVCE BVRGRAVIO NORIMBERGENSI
VTRIVSQVE PRINCIPATVS REL. REL.

EX DECRETO
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRO GRADV DOCTORIS IN MEDICINA
LEGITIME OBTINENDO
H. L. Q. C.
DIE XXII. DECEMB. cIↄ Iↄ ccLXXXI.
PVBLICO AC PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI
SVBIICIT

IOANNES ANTONIVS MEIER
EICHSTETENSIS.

ERLANGAE
TYPIS KVNSTMANNIANIS.

23410
Pres. by
... 1810

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

Elleborum fruſtra, cum iam cutis aegra tumebit,
Poſcentes videas: *venienti* occurrite morbo.

Aul. Perſii Satyr. III.

Iucubant pratis pecudes relictae;
Taurus armento pereunte marcet;
Deficit paſtor grege diminuto,
Tabidos inter iuvencos.
Non lupos cervi metuunt ràpaces,
Ceſſat irati fremitus leonis,
Nulla villoſis feritas in urſis.
Perbibit peſtem latebroſa ſerpens,
Aret et ſicco moritur veneno.
Non ſua ſylva decorata coma
Fundit opacis montibus umbras.

Ann. Seneca.

REVERENDISSIMO

AC

CELSISSIMO

S. R. I.

PRINCIPI ET EPISCOPO

EICHSTETENSI

DOMINO DOMINO

IOANNI ANTONIO III.

PATRI PATRIAE

CLEMENTISSIMO

AC

PATRONO MEO

INDVLGENTISSIMO.

PRINCEPS CELSISSIME DOMINE INDVLGENTISSIME.

Animus mihi certe nunquam fuiſſet leves haſce pagellas *Celſiſſimo Tuo Nomini* inſcribendi, niſi indulgentiam *Tuam* ac ſingularem prorſus clementiam, qua unumquemque ſubditorum *Tuorum* excipere eiusque qualescunque pro bono publico conatus et bene de patria merendi ſtudium intueri ſoles, optime mihi noſſe contigeret. Cum nihil earum rerum, quae ad proſperitatem publicam pertinent, aut eius incrementum promovere valent, *Celſiſſimae Tuae Mentis* aciem ſubterfugere poſſit, clementiſſime me iubere *Tibi* placuit, praeter ipſam ſcientiam medicam, etiam artis veterinariae ac hippiatricae initiis addiſcendis in celeberrima ſchola veterinaria, quae *Viennae* floret, meam impendere operam. Cui clementiſſimo mandato omni pie-

tate cum paruerim, opportuniorem materiam, cum de exarando ſpecimine inaugurali mihi cogitandum eſſet, eligere me non potuiſſe credidi, ac laetus occaſionem arripio maximas, quas inſigni *Tuae* erga me munificentiae debeo, publicas easque ſubmiſſiſſimas perſolvendi gratias. Iam in patriae ſinum redire ardet mens mea, ac omnes ſuas vires pertenues licet ad civium meorum ſalutem adhibendi deſiderio flagrat. Summi Numinis Clementia diu *Tuorum Te, Pater Patriae Indulgentiſſime*, ſubditorum piis precibus ut ſalvum ac incolumem conſervare velit, ſincerrima ſunt vota

CELSITVDINI TVAE

Dabam
ERLANGAE
XVII. Dec. 1781.

Perpetuo
Subiectiſſimi et devotiſſimi
IOANNIS ANTONII MEIER

DE
PROPHYLAXI
MORBORVM EPIZOOTICORVM.

Magnum illud, ac prope divinum, quod adeo in Hippocrate miramur ingenium, in eo potiſſimum conſiſtere mihi videtur, quod non ſolum remotiſſimas morborum cauſſas detegendi, verum etiam morbos imminentes praeſertim vulgares praevidendi, eorumque initium, durationis tempus, at-

que exitum praedicendi incredibili ſagacitate praeditus fuerit. Nec vero minor in veterinario ſaluti pecorum invigilante, quam in medico hominum ſanitatis reſtituendae conſervandaeque ſtudioſo ad cauſſas morborum inquirendas perſpicacitas, ad experimenta capiunda fides ac patientia, ad remedia denique morborum indoli convenientia ordinanda et ad ſalutaria adminiſtranda conſilia ad eos praecavendos requiritur prudentia. Cum vero longe praeſtantius eſt ſanitatem conſervare illaeſam, quam amiſſam reſtituere, tutius tempeſtatem capiti noſtro minantem avertere, quam ſummo cum periculo ab ea evadere; eo magis ad morbos inprimis populares univerſam ſaepe regionem devaſtantes avertendos omnem ſollicitudinem atque laborem medicis adhibendum eſſe iudico.

Dolendum ſane, quod ars veterinaria generi humano adeo utilis tam diu a medicis neglecta, et imperitiſſimorum hominum arbitrio, paſtorum atque carnificum exercitio ſui in detrimentum relicta fuerit, ac non ubique Academiarum ſcholae huic utiliſſimae arti exſtructae floreant.

LANCI-

LANCISIVS [a]) vero ac RAMAZZINI [b]) principes in arte viri (ultra quorum aetatem nullum invenire licet ſcriptorem, qui aliquid de epizotiis, earumque prophylaxi, excepto unico [c]), commemoratu dignum poſteris reliquerit), publica rerum calamitate commoti naturae ferocis huius mali indagandae ac ſecurae eius medelae ſeſe applicantes nullum nomini ſuo vel muneris dignitati dedecus contracturos fore timebant.

Perſuadere mihi haud poſſum, honori medicorum aliquid detrahi proſpiciendo, ne morbi peſtilentiales animalia corrumpant. Nonne iisdem mechanices legibus quibus homines vivunt, iisdemque fere morbis obnoxia deprehenduntur, et homines ean-

A 2 dem

a) *Io. Mariae* LANCISII diſſ. hiſt. de bouilla peſte ex Campaniae finibus 1713. etc. acc. conſilium de equorum epidemia, quae Romae graſſata 1712. *Rom.* 1715. in 4.

b) *Bernardi* RAMAZZINI de contagioſa epidemia, quae in agro patavino et tota fere veneta ditione in boues irrepſit. *Batav.* 1711. in 8.

c) *Wohlbewehrt und approbirte Recept oder Mittel, welche für die iezt graſſirende Viehkrankheit Ihro Churfürſtl. Durchl. in Bayern gnädigſt publiciren laſſen. Im Jahr Chriſti 1682.* in 4.

dem ac animalia mortis rationem ſubeunt? Maximam enim ad nos alendos, veſtiendosque partem conferunt animalia, nec tanta nobis terra reddet faenora, niſi eam pinguefacerent, atque colerent; varia demum ratione vitam nobis acceptam, atque commodam grato eorum ſervitio reddere ſtudent. Anguſtam omnino atque duram trahit vitam rurico- la, et omnibus ad vitam miſere ſuſtentandam rebus neceſſariis egent urbium incolae, quando agrorum cultura iacet, ac nulla pecorum cura habetur. Quo maius igitur ex conſervatione pecorum nobis accedit emolumentum, et quo maius ex eorum iactura detrimentum capimus, eo magis morbi praeſertim univerſales ab iis ſunt arcendi, omnique ſtudio integrae eorum ſanitati conſervandae nobis invigilandum eſt.

Facilius autem metam ſibi propoſitam medicus obtinebit, ſi naturae via incedat: nexum rerum, quae agunt atque reagunt, ordinemque naturae perturbant, penitus, vel ſaltem quoad ipſi licuerit, penetrare conetur; quae res, quas vocant medici non naturales, vel nimia earum abundantia, vel defectu peccent, quidque his addendum, illis vero demendum ha-

habeat, curet; et facta quacunque earum mutatione hunc ſequi effectum praevideat, atque neceſſariis in tempore oppoſitis ipſi remediis occurrendo innocuum reddat.

Eae vero res quam maximam attentionem medici merentur, quibus animalia ſine ſummo vitae periculo diu carere non poſſunt, quaeque, ſi vel prava ſua qualitate peccent, vel alio modo a legibus ipſis a natura praeſcriptis declinent, peſſimos brevi tempore in animalium corpora effectus exercent. Inter harum numerum primo loco pono *aerem*, *pabulum*, et *aquam*. Proxime his accedit tempus pecora ad paſcua ducendi aptiſſimum, niſi in ſtabulis retineantur, paſcuorum ſitus ac qualitas, varia annorum fertilitas, anni praeteriti cum praeſente, veris cum aeſtate, hyemis cum autumno et ſic alius ad aliam anni partem habita ratio, ſubitae tempeſtatum viciſſitudines, conditio ſoli, morbi pecorum et plantarum praeſentes vel praeteriti, vicinia fodinarum metallicarum, paludes, aquae corruptae, ventorum ortus, duratio et natura, pluviarum copia maior vel minor etc. ſtabulorum denique ſitus, ſtructura, et amplitudo.

 Has

Has omnes res modo dictas non exigui in morbis praecavendis momenti ſollicite examinet medicus, etiamſi nulla vel imminere videatur, vel ſuſpicienda ſit epizootia. Cum vero huius modi pecorum peſtem in vicinia, vel ſuis in agris iam graſſari perceperit, quaenam deinde rationes de lue vel arcenda, vel ſupprimenda ineundae ſint, quid porro de ſignis epizootiae externis, et internis, de diaeta infectionis iam ſuſpectorum, vel ſanorum adhuc, de remediis internis, de medicina univerſali, de venae ſectione, de ſetaceis, de luis inoculatione, de urina et excrementis alvi, de animalibus ad mortem damnandis, de ſectione cadaverum, de eorum ſepultura, de prohibendo carnis vel pellium uſu, de tuendis regionis finibus, de ſtabulorum purgatione, de novis emendis animalibus obſervandum ſit, doceat. Singulas iam, quas modo enumeravi partes, licet non eodem ordine, propius tamen conſiderare iuvat.

DE DIFFERENTIA EPIZOOTIAE ET CONTAGIONIS.

Variis in libris nullo habito diſcrimine verba haec occurrunt, et unum promiſcue alterius loco poni-

ponitur; cum magna tamen epizootiam inter ac contagium intercedat differentia.

Non omnis enim epizootia contagioſa dici poteſt. Epizootiae nomine morbus audit univerſalis ex communi cauſſa ortus, qui plura ſimul eiusdem generis [d]) individua aggreditur. Plures quoque epizootiae ceſſant, quin ſeſe communicent. Evolutione vero morborum univerſalium in corpore facta aliis eiusdem generis individuis paululum iam ad recipien-

[d]) Peſtis quaedam obeſt arboribus aut ſatis, animalium nulli obeſt. Contra, quaedam tangit animalia, ſatis et arboribus parcit, et inter animalia, haec hominem capit, illa boves, illa equos aut alia, ſed et in eadem ſpecie, quae pueris et iuvenibus eſt contagio, ſenum neminem laedit, et e contrario nec quae mares, ſemper etiam mulieres attingit. Promiſcue vero alii certas peſtes ſenſere, alii non, et alii inter peſtilentes illaeſi verſantur, alii non. Inter membra porro eſt et ſua analogia, lippitudo nulli membro nocet niſi oculis, phthiſis vero non oculis, quanquam delicatioribus, ſed pulmoni: Alopeciae et Achores caput ſolum tentant. At vero et in humoribus, quaedam uni eſt contagio, alii non, quaedam omnibus, aliae ſpiritus praecipue perdunt.

Hieron. Fracaſtor. de contagione et contagioſis morbis, et eorum curatione. Lib. X. Cap. 8.

cipiendam in ſe luem inclinantibus venenum infectionis vim habens communicari poſſe nemo negabit.

Contagium igitur triplici via vel per aerem, vel per fomitem, vel per contactum nullo intercedente medio de corpore in corpus ſerpit. Nec omnes epizootias vel contagia eandem ſemper imaginem referre ſcimus; diverſae enim ſunt pro ratione rerum eas conſtituentium diverſa *).

DE

*) Contagiones aliae in nobis primo fiunt, et generantur in aliquo, mox ab illo in alium transeunt. Aliae extrinſecus primo veniunt, et factae de uno in alium propagantur; et aliae per ſumma errant, et vix cutim carpunt, aliae ſolidoria occupant, aliae et interna, et aliae omnia tam interna quam externa. Quaedam porro promptiſſime inhaerent et afficiunt, quaedam ſerius; et aliae ſe ſtatim manifeſtant, aliae non niſi longe poſt. Aliquae ad haec letales ſunt, aliquae ſine ullo vitae periculo. Omnes autem in corpore vivo natae infectionem diſſeminare, in mortuo non. Et corporum alia ſuſcipiunt facillime, alia aut nunquam, aut cum difficultate. Vnde et illud quaeri poteſt, utrum peſtilentiis aſſueſcere poſſimus, ſicuti venenis. l. c. Cap. 12.

DE AERE.

Tanta vis ac poteſtas aeris eſt in corpus animale, ut quocunque modo mutatus aliquam quoque, etiamſi haec mutatio ſenſus noſtros effugiat, in pecorum ſanitate mutationem producere debeat. Certa igitur aeris temperies exiſtere poteſt, quae et hominum ut et reliquorum animalium ſaluti ac vigori optime conducere, et corporum vegetabilium incremento maxime favere debet, hincque fluit ratio, cur oppoſita huic priori temperies pecorum valetudinem convellere, ac plantarum productionem retardare poſſit; ſanam illam, hanc vero aegrotam aeris conſtitutionem dixeris.

Qualis vero temperies pecorum ſanitati maxime conducat vel noceat, optime quotidiana thermometri obſervatione cognoſci poterit.

Aeris gravitas, denſitas, raritas, calor et ſiccitas, frigus et humiditas, variae harum qualitatum combinationes, et momentaneae earum viciſſitudines modo ſalutarem modo noxium in herbarum pecorumque naturam influxum habent, quem medicus diligenter habita aeris cura obſervare, ſimilique in

 futu-

futurum exiſtente cauſſa divinare, ac ponderato dein cum magnitudine cauſſae effectu malum adhuc in tempore vel praevenire, vel ſaltem in incunabulis ſupprimere poteſt.

Tempeſtate calida magis luxuriare videmus herbas aromaticas, humida vero frigidiores ſucculentas et ideo maiorem aquae copiam deſiderantes; clare hinc eluceſcit, cur lues ob calorem nimium nata oves, quarum guſtui herbae aromaticae magis arrident, et quarum naturae calor non adeo ac reliquis inimicus eſt, praetereat, boum contra gregibus infenſiſſima ſit.

Aer calidus ad noxias e terra et aquis exhalationes excipiendas et animalibus communicandas aptiſſimum eſt vehiculum; inſpirando enim reſorptae et ſanguini immixtae luem generare poſſunt.

Iis annis, quibus infecta in pratis paſcuisque abundant, eorum exuviae, et fila, quae ducere ſolent, ſi cum gramine vel faeno a pecoribus ingeruntur, iis nocere, et ex quorundam opinione cauſſae concomitantes epizootiarum fieri poſſunt.

Aere

Aere vaporibus putridis referto non parum timendi ſunt morbi late graſſantes, cum humores animales ſua iam natura in alcaleſcentiam inclinent.

Putridae cadaverum in bello caeſorum exhalationes, aquae ſtagnantes, paludoſae et ſolis radiis expoſitae, fluvii, qui ripas inundant, et dum iterum recedunt, magnam terrae limoſae et piſcium mortuorum progreſſu temporis putreſcentium copiam in pratis et paſcuis relinquunt, innumerabilis ſaepe inſectorum variorum copia, et crebriores terrae motus aerem vaporibus animalium naturae inimicis neceſſario corrumpere debent.

Nebulis igitur denſis, frigidis, calidis et foetidis terrae incumbentibus, pecora in ſtabulis ſuis ſunt retinenda, donec paſcua vel pluviis cadentibus abluta, vel a calore ſolis ſiccata, fuerint et nebulae penitus diſparuerint.

Praeſentem aeris conditionem et naturam ſollicita variorum experimentorum inſtitutione explorare ſtudeat medicus, ut mala inde conſequentia, et quibus iis occurrendum ſit remediis, non ignoret;

Si corpora, quae ratione colorum aliquam in aere mutationem ſubeunt, ſeu colorem, quem habebant prius, nunc a particulis nitroſis, ſulphureis, vel vitriolicis ſeſe inſinuantibus mutant, perdunt, vel etiam nigreſcunt, aerem depravatum eſſe non dubitet.

Si roris mellei ſuſpicionem movent paſcua, nunquam vel tarde ad ea ducenda ſunt armenta [f]).

Vaporum malignitas contrariis corrigitur. Aere ſtagnante, ac depravato per machinas e ſtabulis educto purior reſtituatur. Noxa, quam aer nimis calidus armentis infert, averti poteſt, ſi animalibus ſole meridiano ardente quies vel domi, vel ſub ſalicibus vel populis, eum in finem in paſcuis plantatis, conceditur, vel ſi ſaepius per diem armenta in flumina immittantur, aut ſpongia madida per totum corpus abluantur.

Aer

f) SAGAR *Abhandlung von dem Mehlthau.* 1775.

PLENEIZ. *op. med. phyſ.* p. 210. *Vien.* 1762.

TILLET. *diſſertation ſur la cauſe, qui corrompt et noircit les grains de bled dans les Epis, etc.* 1755.

DU HAMEL *elemens d'agriculture. T. 1. L. 3. C. 2.*

FRANCESCO GINANNI *delle malattie del grano in Erba trattato ſtorico - fiſico, pag. 73. etc.* 1759.

Aer vaporibus putredinoſis impraegnatus corrigitur beneficio exhalationum ac vaporum aceſcentium, aceti ferro candenti ſuperinfuſi, ſi aeri puriori in bovile intrandi permeandique facultas data fuerit, vel ſi combuſtione ligni et baccarum Iuniperi ventus artificialis excitatus fuerit.

Non parum quoque ad ſanitatem pecorum confert, ſi quotidie per hiemem ſemel vel bis per unam aut duas horas e ſtabulis educantur, aeri libero exponantur, et motus quoque liberior iis concedatur, quodque ipſis adeo gratum eſſe ex eo videmus, quod non ſine difficultate ac invita ad reditum in ſtabula cogi debeant.

Animalia in locis altioribus viventia multo ſaniora ſunt, et rarius epizootiis obnoxia deprehenduntur, quam quae humili loco vivunt.

Aeſtatem ſicciorem vel hiemem frigidiorem ſaepius lues eſt ſecuta.

Epizootiae ut plurimum oriuntur tempore veris, per aeſtatem increſcunt, et vehementiſſime ſae-

vire ſolent, in autumno decreſcunt, ſaepiſſime per hiemem evaneſcunt.

DE AQVA.

Aqua potui animalium inſerviens ſit pura, pellucida, levis, atque ab omnibus particulis heterogeneis, ſulphureis, nitroſis, putridis, limoſis, terreis vel arſenicalibus munda. Eius uſus eſt tam internus, quam externus, frigidus aut tepidus, ſimplex vel compoſitus.

Ex flumine ſuper arenam ac ſilices labente vel ex fonte optima tenetur aqua; nimis frigida aut calida nocet; ſtagnans ac paludoſa ſollicite eſt vitanda.

Aqua fontana reliquis melior habetur, quia tabulis ligneis quibus putei tegi ſolent, ab omnibus impuritatibus, ſtercore, cadaveribus, inſectis, ac rore melleo defenſa pauciſſimas particulas peregrinas continet, quae animalibus noxiae eſſe poſſiut.

Aquae inopia vel impuritas digeſtionem laedit; poſt praegreſſum motum vehementiorem potus nun-

nunquam eſt concedendus, donec antea aliquid ſaeni porrectum fuerit.

Potus copia et tempus praeſcribi non poteſt, ſed ſaepius eſt exhibendus, cum nullum de ingurgitatione nimia timendum ſit periculum; non enim maiorem aquae copiam hauriunt animalia quam quae aſſumtis alimentis ſolidis diluendis, ac humoribus diſſipatis reſarciendis ſufficiat.

Tempore hiemis aqua nimis frigida vel per aliquod tempus in ſtabulis aſſervetur, vel pauca aquae tipidae quantitate temperetur.

Saepius inprimis in fervida aeſtate in flumina cogantur animalia; corpus enim balneo roboratur, atque reficitur et ab omni externa immunditie liberatur.

Angli nunquam ab itinere vel labore reduces equos in equilia intrare permittunt, quin eorum pedes poſt refrigerationem neceſſariam aqua frigida antea lavaverint.

Ab aquis ſtagnatibus ac paludoſis praeſertim tempore calidiori arcenda ſunt animalia; nam ab in-

tolle-

tolerabili ſiti ob aquae inopiam, et auctam tranſpirationem preſſa immundiſſimas haurire aquas non abhorrent. Paludes autem, praeter putreſcentia, quae continent vegetabilia, muco animali ac putredine inſectorum mortuorum infectae ſunt, quae magna copia et avide hauſtae humores animalium corrumpunt, ac luem generare poſſunt.

Si animalia pluviis a tempeſtate exortis diu ſub iove expoſita fuerunt, non inutilis ſuſcipitur labor, ſi domum reverſa ſtraminis frictione purgentur, et aqua pura abluantur, pluviae enim particulas ſulphureas aliasque impuras et noxias ex aere ſecum abripiunt, et corpori animali applicant.

Non exigua certe tranſpirationem promovendi, vires excitandi, munditiem conciliandi, digeſtionem adiuvandi, humores diluendi, conſervandique ſanitatem purae aquae virtus eſt, hincque eo exactius proſpiciendum erit, ne noxia ei quaedam qualitas inſit, morbos luemque animalibus facile illatura.

Ad paſcua humida, paluſtria, grex nunquam ducatur; in vere et autumno pecora maneant in ſtabulis, donec ros vel pruina ſolis radiis conſumta fuerit;

fuerit; praeſertim apud oves haec cautela eſt adhibenda.

DE PABVLO.

Maxima praecavendis epizootiis virtus ineſt pabuli qualitatibus bonis, uſui recto, copiae et aptis praebendi temporibus.

Pabulum quidem in diverſis regionibus diverſum reperitur. Vſitatiſſimum vero et omnibus pecoribus commune pabulum eſt gramen atque foenum.

Per multum etiam intereſt, utrum in ſtabulis nutriantur pecora, vel ad paſcua ducantur. Magnum ſaepe eſt praeſervationis remedium, ſi pecora in ſtabulis retineantur; hinc enim efficitur, ut aer depravatus a pecoribus aliquo modo arceatur, vel ſaltem ut vis eius noxia refringatur [g]).

Foenum eſt collectio plurium herbarum, quae in pratis creſcunt. Plantae hae virides adhuc ſub ſecantur, ſparſae explicantur, ſolis radiis expoſitae ſaepius

g) *Joh. Gottlob von* SCHÖNFELD, *die Landwirthſchaft und deren Verbeſſerung.* §. 64. *u. f. Leipz.* 1773.

ſaepius vertuntur, ac ſiccantur, in metas extruuntur, ac denique ſub tectis poſita conſervantur, ita tamen ut ſemper aeri libero acceſſus pateat, ac a nulla humiditate, vel pluviarum iniuriis offendi vel corrumpi queant.

Foenum neque ſit nimis ſiccum, alias facile frangitur, et in pulverem redactum magnam particularum nutrientium partem amittit; neque nimis viride in piramides extruatur; calore enim excitato fermentationem ſubit, atque vapidum evadit, vel ſitum contrahit.

Foenum quod pabulo aptum iudicatur, ab omni pulvere, et ſtercore debet eſſe purum, viridis coloris, et grati, aromatici et boni odoris; a foeno flavo, albo, nigro, craſſo, ligneo, humido, vapido, foetido, ac limo conſpurcato abſtinendum eſt.

Foenum alius eſt naturae, quod temperie nimis calida, alius, quod calore moderato et ſufficiente pluviarum copia excrevit; in illo partes terreae, mucilaginoſae ac nutrititiae arctius cohaerent, et idem illius volumen duplicem huius quantitatem particularum nutrientium continere debet; unde ſan-

guine

guine per particulas viſcidas condenſato obſtructiones vaſorum et viſcerum oriri poſſe videntur.

Foenum ob tempeſtatis iniurias locis, ubi ſervatur, illatum humidum larga ſalis quantitate interſperſa a corruptione diu praeſervatur, ac gratum atque ſanum pecoribus fit pabulum [h]).

Animalia debito tempore ſufficientem alimentorum quantitatem obtineant; melius eſt minorem alere pecorum numerum, quam neceſſaria ipſis nutrimenta detrahere. Pabulum aeſtivum differt a hiemali. Per aeſtatem pecori a paſcuis reduci datur pabulum viride, vel ſtramen minutim conſciſſum ac foeno mixtum. Per hiemem conſiſtit paſtus in foeno et ſtramine hordei, avenae, ſecalis, braſſica, aliisque, in hordeo vel ſecali disrupto.

Commutatio pabuli viridis in aeſtate cum ſicco in hieme non niſi ſucceſſiva fiat.

Foenum nunquam ſupra ſtabula conſervetur, non enim niſi tabulae ligneae intercedunt, quae per

 hia-

h) *Kongl. Suenska Vetenskaps. Academiens Handlingar.* 1756. vol. XVII. pag. 75.

hiatus exhalationem pecorum, et excrementorum transire ſinunt, et foeno corruptionem inducunt.

Saepius omnia in uno ſtabulo contenta pecora aegrotaverunt, et mutato, quo modo uſa fuerunt pabulo, ac meliori ſubſtituto convaluerunt.

Inter optimas herbas nutrientes numerantur Hedyſarum Onobrychis, trifolium pratenſe, medicago ſativa, vicia ſativa, aliaeque, urtica, braſſica, ſanguiſorba, poterium, ſanguiſorba officinalis, etc. inter noxias vero et venenatas habentur, ranunculi, cicuta, carex acuta, etc.

Frequens ſalis communis, vel foſſilis uſus, optimi hucusque ad morbos praeſervandos remedii minime negligendus eſt. Sal particulas craſſas atque viſcidas in alimentis contentas reſolvit, ſe et excretiones expedit, digeſtionem promovet, appetitum excitat, et vermium generationi et putredini reſiſtit. Sal vel cum pane, vel cum furfuribus, vel cum foeno praebetur, vel ſal foſſile in ſtabula ponitur, ut pecora praetereuntia illum lambant. Sal mirabile Glauberi nativum pecoribus etiam perutile eſſe videtur. Accolae thermarum carolinarum uno ore aſſe-

aſſeverant, ſe ſemper immunes fuiſſe, a lue bovilla etſi totius viciniae armenta eadem perirent, quod aquae thermali tribuunt, quam pecoribus pro potu quotidiano exhibent, quae ut notum eſt, magnam huius modi ſalis quantitatem continent [i]).

Pabulum ex locis altioribus illi ex humilibus praeferendum eſt, ob aerem puriorem, et rariores aquae inundationes; animalia pabulo ex regionibus montanis nutrita rarius epizootiis corripiuntur.

Prata ſunt naturalia vel artificialia, vel in montibus vel vallibus ſita, ſicca vel humida. Pratorum porro bonitas diiudicatur pro graminum, quae ferunt diverſitate et pro ſoli qualitate praeponderante [k]).

Prata paluſtria, humida, et ſaepius inundata plantas craſſas et pingues progignunt, quas equi ac

 oves

i) v. BROKE *Anmerkung, daſs das Kochſalz das beſte Verwahrungsmittel gegen die Hornviehſeuche ſey. 4. Samml. braunſchw. Landwirthſchaftgeſellſchaft Nachrichten. Zel.* 1766. *S.* 352.

k) *Conferatur ill. Ioh. Chriſt. Dan.* SCHREBER fautoris ac praeceptoris mei grato ſemper animo colendi liber, *Botaniſch-öconomiſche Abhandlung vom Grasbau, Preisſchrift. 4. Hauptſt. Leipz.* 1763.

oves abhorrent. Terra ſabuloſa ſterilis eſt, argillacea, niſi ſit ſterilis, cum ſabuloſa debet eſſe mixta, nigra omnium fertiliſſima eſt, ſi iuſta arenae et argillae quantitas ipſi addita fuerit.

Si gramen recens pecoribus in bovili dare lubeat, illud quotidie bis in aeſtate non humidum, nec rore madens, nec calore nimio flaccidum, ſed antemeridiano vel veſpertino tempore ut plurimum ſubſecetur.

Equorum pabulum eſt foenum purum, avena, et ſtramen.

Ovibus ſal larga quantitate porrigatur. Per hiemem foenum bonae notae accipiant.

Pabulum aetati cuiuscunque generis, ratione ſelectus et copiae ſeſe accommodet.

Nimia temporis anguſtia preſſus brevitatis ſtudioſus eſſe cogor, nec ſingulas pabuli ſpecies enarnare, nec de pratorum cultura, ſtercoratione, emendatione, irrigatione, et exſiccatione artificiali, de foeniſecio, de plantarum ſelectu, de ſoli natura etc. mentionem facere diſſertationis limites concedunt.

Sed

Sed occaſio in futurum mihi non deerit obſervationes de his rebus inſtituendi, easque ſtudio factas fideliter communicando defectum hunc ſupplere cogito.

DE PASCVIS.

Paſcua ſunt vel natura vel arte facta, et alto vel humili loco iacent, meridiem aut ſeptentrionem reſpiciunt, ſicco vel humido ſolo gaudent, modo fluviis, modo ſylvis viciniora ſunt, nec omnia paſcua omnibus animalibus herbas acceptas alunt. Vaccae et boues herbas pinguiores, craſſiores et altiores amant, equi autem et oves [1]) gramen tenerum, ac parvum pinguiori praeferunt, et equi illa paſcua abhorrent, in quibus oves ante paſcebant.

Pecora quae in regionibus montanis vivunt, et pabulum et aquam puram ex iis obtinent, rarius epizootiis obnoxia ſunt, quia aere fruuntur liberiori, et corpus praeſertim equorum crebriori montis aſcenſu ac deſcenſu fit alacrius atque agilius. Ovibus colles ac montes optima praebent paſcua.

In

[1]) Fuge pabula laeta. virg.

In aeſtate pecora bis quotidie mane et poſt meridiem ad quaerendum paſtum educantur, et tempore meridiano in ſtabula pellantur, ut lac emulgeri poſſit, et ut ſolis ardorem evitent. Pecora nunquam ad paſcua mittantur, quin antea aliquid foeni ipſis datum fuerit.

A paſcuis ſolis radiis exuſtis, et exſiccatis, pecora ſunt arcenda, herbae ſiccae et aridae omni ſucco nutrititio deſtitutae nihil niſi terram pecoribus moleſtam praebent, quas tamen ingrato fames ſenſu impulſa devorare coguntur.

Paſcua, in quibus aquae ſtagnantes ac paludoſae occurrunt, et inundationibus aquarum ſaepius terra limoſa obducuntur, ſunt vitanda.

DE STABVLIS.

Stabulorum ſitus, ſtructura, amplitudo, atque mundities, non levem in ſanitatem et morbos animalium influxum habet.

Situs ſtabulorum verſus ortum ſolis prae reliquis arridet; ſtabula vero ad meridiem ſita nimium ardori ſolis expoſita ſunt; ſeptentrionem ſpectantia omni ſolis acceſſu carent, cuius tamen beneficio ſtabula et lucidiora et puriora redduntur.

Stabula ratione ſtructurae et alta et humilia, et clara et obſcura eſſe poſſunt. Stabulis altis ac lucidis tranſpirationi fit locus, aer eſt liberior, animalia vigent, et infecta et impuritates facilius deteguntur; humilia autem atque obſcura pecori anxietatem contrahunt, aeri elaſticitatem demunt, tranſpirationem ſupprimunt, appetitum imminuunt, ſicque epizootiarum cauſſae occaſionales evadere poſſunt.

Ratione ſpatii peccant ſtabula, ſi maiorem animalium copiam ſuſcipere debent, quam anguſtia loci commode contineri poſſunt; tranſpiratione enim, ſitu et excrementis ſuis mutuas ſibi creant moleſtias.

Immundities ſtabulorum pecorumque magnum ſanitatis impedimentum eſt. Tempore paſtus aer apertis feneſtris renovetur, eodemque ſimul tempore excrementa auferantur; noxiae enim exhalationes pecorum in uno ſtabulo contentorum, putredo urinae et excrementorum, quae in ſolo morantur, vel ab eo reſorbentur, varios cutis morbos et pectoris excitare poſſunt [m]).

Sta-

m) LA FOSSE, *du ſoin qu'on doit avoir du cheval.* COURS D'HIPPIATRIQUE.

Stabula ſic conſtructa ſint ut effluere poſſit urina, ne ſua mora atmoſphaerae putredinem conciliet, vel pecora in ſuis excrementis iacere debeant. Saepius ſtramenta nova ſubſternantur, ut animalia a duritie ſoli, et eius humiditate atque impuritatibus defendantur. Equis ſtramen, vaccis vero et reliquis arborum folia ſubſterni ſolent.

Diligenter ſtrigili pectantur animalia; harum enim crebriorum pectinationum ope in ſufficienti tranſpiratione pecora conſervantur; nec frequens balneorum uſus omittatur.

Ventilatoribus aut orificiis apertis inſtructa ſint ſtabula, ne acceſſus aeri puro occludatur.

Pecora illa rarius morbis obnoxia deprehenduntur, vel levius eos ferunt, quae aere ſemper renovato in ſtabulis fruuntur, et ſi ſtabula ſitum commodum habeant, lucida ſint, et munda conſerventur.

Ex his praemiſſis ſequitur, quod aeris puritas, paſtus potusque iuſta quantitas ac qualitas, pecorum denique ac ſtabulorum mundities a qlurimis morbis

peco-

pecora defendant, multum vero etiam ad originem et propagationem epizootiarum conferant, ſi qualitate ſua peccent; omnis enim mutatio in corpore ſano facta, et diſpoſitio ad epizootias producendas, et ope contagii diſſeminandas neceſſario ab iis dependet. Animalia diaetae regulis praemunita, longe minorem morborum receptivitatem habent, et hac ratione ab omni contagii metu longe magis exempta ſunt.

DE SEMIOTICA PHYSIOLOGICO - PATHOLOGICA.

Morborum naturam, ortum ac progreſſum is diiudicare non poterit, qui naturalem ſanitatis ſtatum antea non cognoverit; difficilius eſt pecorum noſſe morbos, quam hominum; animalia non niſi per ſigna externa ſedem doloris indicare poſſunt, quorum perfectam cognitionem habeat veterinarius, quae ipſi ſi deſit, nunquam proſpero cum ſucceſſu morborum curam ſuſcipere poteſt; ſedulo igitur medicus animalium ſigna ſtudeat, ut, quae his ſignis exprimere velint, intelligat, ac eo facilius morbi ſedem divinare valeat.

Sanitatis ſigna ſunt appetitus bonus, aſpectus laetus, oculi hilares, lingua pura, narium humiditas, motus impiger, crines nitidi, et in ordine iacentes, perſpiratio naturalis, calor modicus, excretiones naturales, pulſus moderatus, etc.

Signa vero his oppoſita ſtatum praeternaturalem indicant, aſpectus triſtis, greſſus tardus et piger, aures demiſſae, oculi turbulenti, rubentes, linguae impuritas, pili inordinati, et elevati, partes genitales tumentes, tuſſis, ſtridor dentium, dentes vacillantes, capitis agitatio, ruminatio ceſſans, appetitus proſtratus, nauſea a potu, deglutitio difficilis, humoris e naribus, et oculorum canthis ab initio fluidioris, tandem vero tenacioris ac puriformis profluvium, diarrhoea foetens, vel alvus conſtipata, foetor oris, frigus extremorum, titubatio pedum, reſpiratio anhelofa, lac evaneſcens, pulſus celer, thoracis et abdominis inflatio, capitis inclinatio vel ad pectus vel eius elevatio in aerem, foetuum iactura, urina parca, lac de coctione coagulatum etc. non in quolibet individuo ſigna haec ſimul exiſtunt, plura vel pauciora, graviora vel mitiora ratione malignitatis, ac diverſae morbi aetatis ſunt.

Me-

Medicus pagum intrans, ubi lues graſſatur ſanas omnium primo domus adeat, qua niſi utitur cautela, agricolarum iniuriis obvium ſeſe praebet, qui, cum eum ab aegrotis redire ſciunt, non parum timent, illum animalibus, antequam intravit, adhuc ſanis peſtem communicaturum fore, etiamſi nulla retineri arte potuiſſet. Opinionum vero a tot iam ſeculis animis infixarum et acerbe erga contradicentes defenſarum tenacitati cui reſiſtere nequit, prudentia veterinarii cedat, et magni quid ſe feciſſe exiſtimet, ſi tantum aliqua tollere praeiudicia ipſi licuerit.

Veterinarius igitur, ne ſui nominis periculum faciat, et ſpem ac fiduciam in ſe poſitam, magnum in curandis morbis levamen, penitus annihilet, longe melius et ſibi et agricolis conſulet, ſi illos pagi vel urbis cuiusdam incolas, quorum pecora nondum lue correpta ſunt, in loco quodam communi convocari iuſſerit, ac numerum animalium mortuorum, celerem vel tardum morbi progreſſum, ſigna morbi maxime conſpicua, ac eius originem ex iis quaeſiverit. Sollicita deinde pabuli, aquae, ſtabulorum, ac reliquarum rerum non naturalium inquiſitione inſtituta, generalia ad praeſervationem morbi

communis pertinentia praecepta ⁿ) praemittere, et, quantum poſſit, contagium praevertere ſtudeat.

DE CVRA SANORVM TEMPORE EPIZOOTIAE HABENDA.

Primum vero et maxime neceſſarium, cui medicus intentus ſit, eſt ſeparatio ſanorum ab aegrotis animalibus °). Pecora ſana e ſtabulis infectis ſtramine antea bene perfricta educantur, aqua pura in toto corpore abluantur, et in ſtabula puriora, ſi adſunt, ducantur, in quibus ſuffimigia aerem noxium corrigentia prius accenſa ſint, vel in equilia auferantur, in quibus non tantam eſſe vim fomitis contagioſi in corpora boum nonnulli contendunt. Pabulum ſit modicum, tenue et facile digerendum, interſperſis quibusdam herbis aromaticis putredini humorum reſiſtentibus.

Potus ſit ſubacidus et farinaceus addita certa ſalis quantitate. Saepius per diem ſtrigili et aqua pura ſuperficies corporis munda conſervetur, ne tran-

ⁿ) *Ben.* LENTIN. *von der Hornviehſeuche. 6 Kap. Gött.* 1776.

°) Memoire ſur les maladies epidemiques des beſtiaux par Mr. BARBERET. p. 54. Paris. 1766.

tranſpiratio cutanea ſupprimatur. Exortae iam epizootiae metu agricolae perterriti omnem aeri liberiori, quo nihil efficacius eſt ad ſanitatem conſervandam, acceſſum occludunt, et proprias ſuas exhalationes pecora inſpirare cogunt.

Oſtia ſtabulorum in ea tantum parte occludantur, quae originem luis reſpicit, ſeu a qua potiſſimum e vicinia infectio timenda eſt, ne eo facilius per ventos adferri fomes poſſit.

Fomes contagioſus facillime per inſpiratum aerem infectum aut cum pabulo, ſaliva vel muco e naribus infectorum exſtillante et per ſuperficiem corporis externam corporibus animalium ſeſe communicat, hinc frequens frictio cum ſtrigili, balneum, ablutio oris, linguae et faucium cum aqua, ſale et aceto valde neceſſaria videtur.

Pecoribus ſanis a communicatione aegrotorum ſeparatis longe minus contagii periculum imminet.

Rapae, braſſicae, poma et pyra ſubacida vel immatura, cortex ſalicis, et Turiones pini vel quercus et rami teneriores cum foliis propter particulas ſub-

ſubadſtringentes et ſalinas egregia ad arcendam humorum putredinem virtute pollent, ſi groſſiuſcule conciſa pecoribus pro alimento exhibentur. Decoctum corticis quercus vel ſalicis minutim conciſi ſummo cum fructu adhibetur.

Hominibus, qui pecora ſana curant, nullum cum iis intercedat commercium quibus cura aegrotorum eſt; foenum ſanis deſtinatum ab illo infectorum caute ſeparetur, neque foenum ſupra ſtabula infecta aſſervatum praebeatur. Pecora ſana neque ad flumina neque ad paſcua ducantur, ſed aliquot horas per diem e ſtabulis emiſſa aeri liberiori exponantur. Vaſa et inſtrumenta, quae pro infectis adhibentur, nunquam ſanorum uſui inſerviant. Venae ſectio prophylactica plerumque nocet, ſetaceis vero maior vis praeſervativa ineſt [r]).

Inoculatio luis certiores nos de contagione reddere poteſt; Cl. SALCHOW univerſale remedium praeſervativum eam eſſe credit, Cel. CAMPER vero,

r) *Joh.* KANOLD *kurze Jahrhiſtorie von den Seuchen des Viehes. p. 80. Budiſ. 1721.* COLVMELLA *de re ruſt. L. 6. C. 5.*

ro, KOOLMANN, TAK, NOZEMANN, KOOL, *van doevern Marquis de Courtivron*, et alii praeclari viri iudicium ſuum de hac re ſuſpendunt, nec experimentorum hucusque inſtitutorum numerum ſufficere credunt.

DE INSTITVTIONIBVS POLITICIS.

Omnes pecorum lue contagioſa infectorum excretiones urina, faeces, ſanguis, fimus et eorum cadavera ad altitudinem ſex pedum in terra ſepeliantur. Animalia, ſi agricola, ſaltem ex aliqua parte iacturae ſuae damnum reparare velit, antequam diarrhoea foetida corripiantur, ad necem ſunt damnanda, ex quorum pelle detracta aliquid adhuc lucrari poterit; pelles humidae inficiunt; ſiccarum vero et coriariorum opera tractatarum nulla eſt timenda infectio. Carnis uſus nunquam hominibus eſt concedendus, etiamſi viva et in initio morbi trucidata fuerint animalia. Epizootia ceſſante ſtabula perflanti aeri per aliquot hebdomades ſint expoſita; vaſa, ſaepia, et inſtrumenta aqua pura aceto immixta ſollicite abluantur; ex eorum enim crematione nimium in agricolas damnum redundaret.

Multa commemoratu digna ſuperſunt, quae mihi ob temporis defectum nequidem tangere licet; brevem enim hanc prophylaxeos epizootiarum ſynopſin non niſi ſpeciminis inauguralis loco delineavi, alia data occaſione idiomate patrio uberius exponendam, atque illuſtrandam.

Edward Moore

Mein Prei

Patti

Eduard Hein